

8br.

17672. V. N. e. s.

for

L

CELSISSIMI AC REVERENDISSIME

C A R O L.

D E I   E T

APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

E P I S C O P I

EXEMPTAE CATHEDRALIS ECCLESIAE

L A B A C E N S I S

S. R. I. PRINCIPIS

E COMITIBUS

A B   H E R B E R S T E I N

S S. CC. RR. ET AP. MM.

Confiliarii actualis intimi &c.

E P I S T O L A P A S T O R A L I S

A D   T O T V M

C L E R U M   T A M   S Ä C U L A R E M

Q U A M   R E G U L A R E M


E I V S D E M   E C C L E S I A E.

---

Impensis MICHAELIS PROMBERGER.

---

M. DCC. LXXII.



1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900


030035942

VENERABILIBUS FRATRIBUS  
PAROCHIS, VICARIIS, CURATIS,  
TOTIQUE CLERO

CAROLUS EPISCOPUS

Salutem & Benedictionem

*Pacem & charitatem cum fide, a Deo Pa-  
tre & Domino Iesu Christo. Eph. 6. 23.*



Cum Deo Opt. Max. placuerit no-  
bis licet indignis onus & regi-  
men hujus Dicēsis imponere, in eo  
omnem curam ac sollicitudinem impen-  
dere debemus, ut gravissimum juxta ac  
sanctissimum hoc Pastorale munus omni-  
bus, quas Deus nobis suppeditabit, viri-  
bus adimpleamus; eundem Deum enixe  
rogantes, ut parcens peccatis nostris, no-  
stramque infirmitatem adjuvans, tantum

Iuminis, gratiæque suæ largiatur, quo di-  
gne Deo in omnibus ambulantes tum ver-  
bo tum opere aliis præluceamus: ut fides  
nostra nunquam deficiat, spes nostra au-  
geatur, & ignis divini amoris semper in  
nobis ardeat; ut denique legem Domini  
diu noctuque meditantes bonis operibus  
abundemus, ne forte, cum aliis prædica-  
mus, ipsi reprobi inveniamur.

Neminem Vestrum Venerabiles  
Fratres latet, quantum Episcopatus digni-  
tas in Ecclesiastica Hierarchia præcellat,  
& quantum honoris ac reverentiæ sit ab  
aliis Sacerdotibus Episcopo tribuendum  
dicente S. Ignatio Martyre in epistola ad  
Smyrnæos n. 8. *Sine Episcopo nemo quid-*  
*quam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spe-*  
*Etant - - - Ubi comparuerit Episcopus, ibi*  
*& multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit*  
*Christus Jesus, ibi catbolica est Ecclesia & in*  
epist, ad Philadelph. n. 3. *Quotquot Dei,*  
*& Jesus Christi sunt, bi sunt cum Episcopo.*  
*& n. 4. Una est caro Domini nostri Jesus*

*Chri-*

*Christi, & unus Calix in unitatem sanguinis  
ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus cum  
Presbyteris, & Diaconis conservis meis.* Et  
ante eum S. Clemens R. P. in epist. I. ad  
Corinthios n. 42. ostendit, quemadmo-  
dum Christus est missus a Patre, & Apo-  
stoli a Christo, ita & ab Apostolis fuisse  
Episcopos Ecclesiæ præpositos. Propte-  
rea ad nos potissimum ea spectant S. Pau-  
li verba, quibus majores natu Ecclesiæ  
Ephesinæ ita monebat Act. cap. XX. v. 28.

*Attendite vobis, & universo Gregi, in quo  
vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ec-  
clesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo;  
& iterum quæ Timotheo scribebat epist.  
I. cap. IV. v. 16. Attende tibi, & doctri-  
næ: insta in illis. Hoc enim faciens; & te  
ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.*

Hæc sane omnia, aliaque id ge-  
nus multa, quæ Epistolæ modus præter-  
ire nos cogit, nobis in memoriam revo-  
cant, non satis esse Episcopo, ut de pro-  
priis moribus suis ad normam Evangelii

cæ legis componendis sollicitus sit, sed  
ipſi ſedulo, ac diligenter eſſe invigilan-  
dum, ut alii quoque, qui ejus Pastorali  
curæ concretiti ſunt, in via Domini am-  
bulent, fidem puram, & immaculatam  
ſervantes, ejusque voluntatem in omni-  
bus adimplentes. Pastoris eſt etiam ca-  
vere, ne a falſis Prophetis, qui veniunt  
in vefimentis ovium vera fanaque do-  
ctrina corrumpatur; ſed ut universi Fi-  
deles idipſum ſapientes unum Magiftrum  
noſtrum, Jefum Christum ſequantur; neque  
aliquis fit Pauli, aliud Apollo, aliud Ce-  
phæ, cum omnes ſimus Chriſti, neque Chri-  
ſtus diuisus fit. Tum demum Pastoris eſt,  
ut reſecatis abuſibus, pravisque conſue-  
tuſinibus eliminatis præcepta Dominica,  
& quæ ab Eccleſia ſapientiſſimæ conſti-  
tutæ ſunt Leges accurate obſerventur; ut  
omnes in via mandatorum currentes ad  
æternam vitam perveniamus.

Hæc tam magna ſunt, noſtrisque  
temporibus tam difficultia, ut qui ea ferio  
per-

perpendat, totis artibus contremiscere debet; Dei tamen gratia confisus, cui semper eterna laus, honor, & gloria, alacri animo arduum hoc Pastorale munus suscipimus; & quantum in nobis erit, etiam atque etiam curabimus, ne gratia Dei in nobis vacua sit; & ut Sanctæ Apostolicæ Romanæ Sedi, cujus obedientes filii sumus, ac demum piissimæ, religiosissimæque Imperatrici, ac Reginæ nostræ, cui submissam, ac fidelem subjectionem debemus pro singularibus in nos collatis beneficiis, quo par est grati animi affectu respondeamus.

Sed ut hæc omnia rite, accurateque perficiantur, necesse est, ut curas, ac sollicitudines nostras cum iis partiamur, quos Dominus nobis in vinea ipsius excolenda cooperatores dedit. Ad vos ergo primo nostra convertitur attentio, qui in sortem Domini vocati, in cura animarum gerenda, in Verbi Divini prædicacione, in instructione tam parvulorum, quam

adultorum, in Pœnitentium confessioni-  
bus audiendis, atque in aliis Sacramentis  
sancte administrandis adjutores nostri esse  
debetis. Vos Fratres carissimi in Spiritu  
pacis, & caritatis toto corde amplectimur,  
& per viscera misericordiae Jesu Christi  
Domini nostri rogamus, obsecramus, &  
si opus sit, etiam in Domino præcipimus,  
ut Vestram vocationem sequentes, gloriam  
Dei promovere, Ecclesiæ splendorem, at-  
que nitorem conservare, animasque Deo  
sacrari omni studio conemini. Serio, at-  
que attente considerate, quale, quantum-  
que munus vobis impositum fit, quod si-  
ne maxima caritate adimpleri non potest.  
Ac propterea Christus ipse curam pascen-  
di agnos & oves non antea Petro dedit  
quam ex iterata ipsius confessione audi-  
vit, quod ipsum amaret, & quidem plus-  
quam ceteri amaret. Jo. XXI. v. 15. & seq.  
Cujus amoris & caritatis jam prius inimita-  
bile exemplum Christus in seipso pro-  
posuerat, cum seipsum dedit redemptio-

nem

nem pro nobis, & pretiosissimum suum sanguinem fudit.

Hæc divina caritas si diffusa erit in cordibus vestris, fortis vos reddet non solum ad Apostolicos labores sustinendos, sed etiam ad gravia obstacula superanda, tentationesque vincendas, quæ cum unicuique Fidelium, tum maxime Pastoribus saepius occurrere solent. Propterea nos monebat Apostolus Ephes. VI. v. 11. ut nos induamus armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiae, in cælestibus:

Arma vero, quibus contra hostes, pugnare debemus, non sunt carnalia, sed spiritualia, scientia videlicet, doctrina, pietas, patientia, fortitudo, mansuetudo, modestia, in primis autem prudentia, quam Christus simul cum Evangelica

simplicitate maximopore Apostolis commendavit Matth. X. v. 16. dicens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et Petrus iterum Apostolorum princeps aliis Fidelibus inquiens. I. Petri cap. IV. v. 7. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Maxime autem hac prudentia opus est, ad tollendos, vel præcavendos abusus, qui veluti totidem vulpes vineam Domini demoliuntur. Quocirca operam date, ne aliqui doctrinas falsas spargant, quæ fidem, aut mores corrumpant, ne libros obfœenos, aut quoscumque alios vetitos invehant; vel qui anomatas, superstitionesque devotiones contineant, eorumque loco pios, utilesque Fidelium manibus teri curetis. Cavete ne contra Divina, vel Ecclesiastica præcepta pravæ consuetudines irrepant; neve ad dispensationes facilius obtinendas, præcipue in matrimonii impedimentis illicita adhibeantur media; uno verbo satagite, ut abolitis, si qui sunt prævis

vis moribus, remotisque quoad fieri potest peccandi occasionibus Ecclesiastica disciplina sarta tectaque utique servetur.

In coercendis autem, puniendisque sacrarum legum violatoribus a verbis durioribus parcite, sed in omni lenitate, & doctrina errantes instruite, ut interius illuminato mentis oculo non tantum ex timore pœnæ, sed ex veritatis amore, caritatisque fervore toto corde ad Deum convertantur. Ita S. Paulus Timotheo suo præcipiebat Epist. 2. cap. 4. v. 2. & seq. *Prædica Verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina;* Et antea dixerat cap. 2. v. 24. *Servum Domini debere mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* In primis autem personæ, temporis, loci, aliæque circumstanciæ pro correctionibus utiliter faciendis observandæ sunt; namque ipso quotidiano rerum usu edocemur, non impediri, aut

aut tolli, sed potius augeri mala, si imprudenter, & indiscrete, aut tempore minus opportuno correctiones fiant. Quod si Deus nostris peccatis iratus nostras correctiones atque admonitiones ea gratia corroborare nolit, quæ sola duritiem cordis emollit: easque propterea inutiles esse contingat, nihil aliud supereft, nisi, ut fletibus, & precibus eum placare, nobisque, & illis, qui nostris correptionibus non commoventur, propitium reddere studeamus; quomodo sancta Monica filii sui Augustini conversionem lacrymis, & orationibus, magis quam increpationibus obtinuisse legitur. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo.* Joel. cap. 2. v. 17. Neque vero in his aliisque muneris nostri partibus adimplendis timendum nobis erit ab offendionibus hominum, eorumque calumniis, & persecutionibus; *omnes enim, inquietabat mox laudatus* Apostolus Paulus 2. ad Timoth.

cap.

cap. 3. v. 12. qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur: mali autem homines, & seductores proficient in pejus errantes, & in errorem mittentes. Memen-  
tote promissionis Christi Domini Matth. V.  
v. 11. Beati estis, cum maledixerint vobis,  
& persecuti vos fuerint, & dixerint omne  
malum adversus vos mentientes propter me.  
Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra  
copiosa est in cælis. Quemadmodum infal-  
libiles istæ promissiones Christi consola-  
ri nos debent in omni tribulatione no-  
stra, ita terrere nos debent, si nostro mu-  
neri deficiamus, quæ sæpius in sacris lit-  
teris repetuntur, nos scilicet pervigilare  
debere, quasi rationem pro animabus alio-  
rum reddituros. Hebr. cap. ult. v. 17. &  
ore Prophetæ Ezechielis Dominus ipse  
nobis minitatur, si speculatoris negligen-  
tia quisque perierit, sanguinem ejus de  
manu speculatoris se requisitum. E-  
zech. XXXIII. v. 6.

Quam-

Quamobrem me continere non possum, quin iterum atque iterum vos orem, per viscera Jesu Christi, ut præter morum innocentiam sanam, maximeque necessariam doctrinam possideatis, ne ignorantia, vel negligentia vestra aliquis ex iis, qui vobis traditi sunt, in æternum pereat: Terribilis est illa sententia nobis per Oseam significata cap. IV. ¶ 6. *Con-*  
*ticuit populus meus, eo quod non habuerit*  
*scientiam; quia tu scientiam repulisti, repel-*  
*lam te, ne Sacerdotio fungaris mibi.* Et S.  
Paulus, ut ostenderet, non posse veros esse animarum Pastores, qui doctrina carrent, scribens Ephesiis dicebat cap. IV.  
¶ 11. *quosdam esse datos Apostolos,*  
*quosdam Prophetas, alios vero Evange-*  
*listas, alios autem Pastores, & Doctores;*  
*cum munere pascendi oves doctrinam*  
*conjungens, non solum ergo vestra exem-*  
*pla alios ad bonum trahant, sed scientia*  
*vestra sit loquax; frequens Evangelii ex-*  
*plicatio, fere numquam interruptæ Cate-*  
che-

cheticæ instructiones, & ad bonos mores  
cohortationes: sit sermo vester simplex,  
& Apostolicus; non obscurus, non ver-  
bis peregrinis, aut Stylo sublimiori, com-  
positus, sed facilis captu, movens simili  
& terrens, mansuetus & zelo fervens, non  
nimis clamorosus, nec nimis longus, ne  
scilicet fastidium procreet. Super omnia  
autem ineptas, anilesque fabulas devita-  
te, & a quibusdam dubiis, vel plane com-  
mentitiis miraculis, atque historiis, qui-  
bus veritas nostræ Religionis non conso-  
lidatur, sed contaminatur, abstinet. Je-  
sus Christum prædicate, & hunc cruci-  
fixum, & fructus reportabis uberrimos  
rudes erudiendo, convincendo pervica-  
ces, superbos deprimendo, vitia extirpan-  
do, omnesque diaboli insidias, artesque  
dolosas confundendo. Assidua Verbi  
**Dei** prædicatione deterrentur peccatores,  
eriguntur timidi, confirmantur boni, pie-  
tas augetur, promovetur gloria Dei, &  
animæ pretioso Christi sangvine redemptæ

ad

ad æternam beatitudinem perducuntur.  
Videte, Fratres dilectissimi, quanta sit  
**Evangelii** virtus, & quanta divinorum  
eloquiorum utilitas.

Hujusmodi tamen tam utilis, tam-  
que necessarius prædicationis verbi Dei  
modus nullatenus obtineri poterit sine af-  
fidua divinarum scripturarum lectione;  
hinc optime perspicitis, quanta fit viris  
**Ecclesiasticis** hujus studii necessitas.

Illud propterea Timotheo suo  
majorem in modum S. Paulus his verbis  
commendabat, epist. 2. ad Timoth. cap. 3.  
v. 14. & sequ. *Tu vero permane in iis,*  
*quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo*  
*didiceris, & quia ab infantia sacras literas*  
*nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per*  
*fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim*  
*Scriptura divinitus inspirata utilis est ad do-*  
*cendum, ad arguendum, ad corripiendum,*  
*ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit*  
*bomo Dei, ad omne opus bonum instructus.*  
*S. Scriptura debet esse nobis quasi quoti-*  
dianus

dianus cibus, quo ita saturemnr, ut num-  
quam inde fastidium, sed potius ejusdem  
fames semper enascatur. *Quam dulcia*  
*faucibus meis eloquia tua*, dicebat Psalmista  
regius Ps. CXVIII. v. 103; *Super mel*  
*ori meo.* Et iterum v. 105. *Lucerna pe-*  
*dibus meis verbum tuum, & lumen femitis*  
*meis.* Divinarum litterarum lectio fuit a  
sanctis Patribus vel ipsis Laicis maximo-  
pere commendata, quanto potiori jure  
hunc sacrum librum diurna, nocturnaque  
manu versare tenentur viri Ecclesiastici,  
qui inde potissimum ea depromere de-  
bent, quæ ad suam, aliorumque instru-  
ctionem pertinent? In his invenietis Re-  
ligionis nostræ dogmata, in his morum  
regulas; in his exempla virtutum; in  
his Divinas promissiones, & minas; in  
his impiorum pœnas, & supplicia, bono-  
rumque præmia, ac coronas. Nihil de-  
mum erit, quod ex hoc inexhausto fonte  
pro vestro ministerio hauriri non possit:  
Ut autem inoffenso pede eam percurra-

mus, non nostro privato Spiritui fidendum erit, sed in locis difficilioribus consulendi sunt Patres, & Interpretes nobiliores, imprimis autem Ecclesiæ Romanorumque Pontificum oracula, a quibus sine magno piaculo vel transversum unguem recedi non potest.

Et quod hactenus dictum est de Verbi Dei prædicatione, ac de fontibus, quos debet unusquisque consulere, idem etiam servari debet in catechesibus, quibus parvuli, & rudes Christianæ Religio-  
nis præcipua dogmata edocentur; quæ assiduæ esse debent, brevibusque interro-  
gationibus, & responsonibus intermixtæ,  
perspicuis & opportunis, quam maxime fieri potest, Verbis expositæ; quomodo Apostolus Paulus testatur se Corinthiis adhuc *parvulis in Christo lac potum dedisse, non ejcam* 1. Cor. 3. ¶ 2. & rursus Hebræis scribens cap. V. ¶ 12. ipsis dicebat *Lacte opus esse, non solidō cibo, qui perfectiorum est: ut ita eorum fides crescat, &*

roboretur; & cum fide omnium virtutum semina implantata fructifcent. Cavete super omnia, ne illud lamentabile infortunium renovetur, quod Jeremias suo tempore deplorabat Thren. IV. ¶. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangere ret eis.*

Sed a prædicationis, & Cathefeos necessitate ad aliud æque gravissimum transamus confessariorum officium. Officium arduum, tremendum, & quo, nisi recte accurateque fungamini, & vos, & alios, qui ad pedes vestros procumbunt, æternæ damnationis periculo exponitis. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Sententia est Christi Domini Matth. XV. ¶. 14. Tam rari sunt modo veri pœnitentes, qui ex toto corde convertantur ad Deum, & a peccatis vere, constanterque resipiscant, quia rari sunt periti animalium medici, qui sciant peccatorum vulnera utilibus remedis perfecte curare: Quamobrem vos Fratres in Domino quan-

tum possumus admonemus, atque rogamus, ne faciles sitis in absolutionibus impertiendis antequam debita, minime que dubia necessariæ dispositionis signa pœnitentes ostenderint; præcipue quando agitur de famæ aut aliorum bonorum restituzione, de occasionibus peccati a se abdicandis, de recidivis aut pravæ alicui consuetudini alligatis. Studete præterea ut solertes medici de opportunis remediis præscribendis, quibus & præterita vulnera sanentur, & nova præcaveantur. Ac demum non nimis indulgentes sitis in operibus satisfactoriis imponendis. Debent Sacerdotes Domini, inquit Concilium Tridentinum Sess. XIV. Cap. VIII. quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur.

Ha-

*Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiā, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Et quamquam antiquus canonum pœnitentialium rigor modo obsoleverit, non erit tamen inutile diligens eorundem studium, ut quemadmodum Ecclesia se desiderare significat, ipsorum spiritum pro temporum nostrorum circumstantiis, quantum fieri potest, retineamus.*

*Diligentia etiam, & cautione opus est in examinandis iis, qui aut culparum gravitatem ignorant, aut malitiose occultant, aut non satis clare exponunt; aut demum quærunt excusationes in peccatis. Patientia item in erudiendis rudibus, vel scrupulosæ, aut pusillanimis conscientiæ hominibus. Constantia demum in resistendo consuetudinariis, & obduratis peccatoribus; quibus terror incutiendus est, ita tamen, ut de infinita Dei misericordia numquam desperent. Opportunum erit*

de Dei bonitate sæpius verba facere, ut ita facilius necessario Dei amore Pœnitentes accendantur.

Sed præterea confessarios monitos volo, ne in Sacro Pœnitentiæ Tribunal de aliis rebus ad hoc Sacramentum minime spectantibus colloquia misceant, unde multa interdum consequuntur mala: quemadmodum etiam vitandæ sunt inutiles quæstiones, vel periculofæ, ne forte curiositate excitata innocentes animæ malitiam discant. Vitanda etiam sunt suspiria, & alia quæcumque signa, quibus adstantibus possit aliqua peccatorum suspicio præberi; scitis enim qualis & quanta sit Sigilli Confessionis obligatio. Induite vos, carissimi, viscera pietatis, & in omni caritate, patientia, mansuetudine, potissimum vero prudentia hoc tam sublime, tam necessarium, tam arduum ministerium exercete. Mementote vos non solum Judices esse ad ligandum, atque solvendum, sed & Doctores esse ad instruen-

struendum, & Medicos ad curandum:  
mementote ab hoc potissimum Sacramen-  
to pendere salutem animarum, pro qui-  
bus Dominus noster Jesus Christus inæsti-  
mabile pretium sui sanguinis solvit.

Supereft modo, ut reliquos nostræ  
Diœcefis Sacerdotes, qui animarum curæ  
specialiter præpositi non sunt, breviter  
alloquamur; eisque in primis gradus sui  
sanctitatem, & excellentiam in memoriam  
revocemus; qua in re nihil melius fieri  
posse ducimus, quam illis consulere, ut  
aureos S. Jo: Chrysostomi *de Sacerdotio* li-  
bros sedulo pervolvant, ubi quanta sit  
ipsorum dignitas, & quanta huic dignita-  
ti sint adnexa pericula, tum quot & quan-  
ta sint a Sacerdotibus præstanta elegan-  
ter pro more suo, copioseque sanctus Pa-  
ter demonstrat. Nobis pauca ex his bre-  
viter commemorare sufficiet, ne epistolæ  
modum excedamus.

Estis ministri Dei, munere plus-  
quam Angelico decorati, nihil ergo in

vobis appareat, quo tanta vobis collata dignitas deturpetur. Sit modestia in vultu, gravitas in ingressu, compositio in toto corpore: nullus splendor, aut luxuria in vestibus, mundities tamen in omnibus, quæ interiorem animi puritatem indicet: absit superfluus omnis ornatus, maxime vero indecentes capillorum cris�ationes. In mutuis colloquiis vitetur locutionis præcipitantia, quæ mentis levitatis indicium esse solet; multo magis vitentur mendacia, quæ nec honestos Laicos decent; & sit sermo vester est est, non non, juxta Domini præceptum Matth. V. v. 37. Sit frequens vestra commoratio in Ecclesiis, rarus discursus per plateas, nullus autem accessus ad spectacula, vel theatra, aut choreas: frugalitas servetur in mensa, prout viros Ecclesiasticos decet, fugite commissationes, & profana convivia, & super omnia sobrietas servetur in potu; nihil enim tam dedecet Servos Dei, quam turpissimum ebrietatis vitium:

rixæ,

rixæ, lites, jurgia, aliaque abominanda  
peccata nec nominentur in vobis: ab  
omni hypocrisi alieni veram pietatem co-  
lite, studiis Sacris, præsertim verbi Dei,  
& sanioris Ethicæ omnibus viribus in-  
cumbite, sacrisque meditationibus, in qui-  
bus anima suum pabulum invenit, fre-  
quentem operam date: Pompas & vanita-  
tes seculi, quibus ex vestro Instituto nun-  
cium remisisti, contemnите; præcipueau-  
ten avaritiam, quæ est idolorum servi-  
tus; sed thesauros vestros ponite in ma-  
nibus pauperum; & cum hæc omnia fe-  
ceritis, cavete a superbia, quæ teste S. Au-  
gustino in *Regula*, etiam bonis operibus in-  
sidiatur, ut pereant. Propterea monebat  
nos Christus Dominus Lucæ XVII. ¶. 10.  
*Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vd-  
bis, dicite: Servi inutiles sumus quod debui-  
mus facere, fecimus.* Hæc paucis comple-  
xi sumus, sed multo fusius, meliusque  
exposita invenietis in operibus sanctorum  
Patrum, præcipue autem in Instructioni-

bus S. Caroli Borromæi, quarum lectionem  
vobis etiam, atque etiam commendamus.

Sed unum est detestabile prorsus  
& indignum, quod sacram Ecclesiastico-  
rum dignitatem omnium contemtui expo-  
nit, & quod vehementissime cupimus, &  
omnino volumus a nostra Diœcœsi elimi-  
natum. Audivimus sœpe, & utinam no-  
stris etiam oculis non vidissemus, Sacer-  
dotes esse adeo sui status oblitos, qui præ-  
ter Missæ celebrationem, & recitationem  
divinarum horarum (quæ duo qua de-  
votione, quo cordis affectu peragantur,  
Deus novit) nihil aliud agunt, quod  
Ecclesiasticum virum deceat, sed rebus  
secularibus, nonnumquam etiam vilibus,  
& abjectis totos sese occupant, cum ma-  
ximo ordinis Sacerdotalis dedecore. An  
non vocati estis, ut serviatis Deo? At ve-  
ro inquit Apostolus Paulus 2. Timoth.  
cap: 2. ¶ 4. *Nemo militans Deo implicat se nego-*  
*tiis secularibus, Rogamus itaque vos Fratres*  
*cum eodem Apostolo I. Theſſal. IV. ¶ 11. ut*

quie-

*quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis ;  
id est illud ad quod vocavit vos Deus  
vocatione sua sancta.*

*Neque vero improbamus eos, qui  
in domibus secularium degunt, ut munus  
domestici Sacellani impleant, vel ut pue-  
ros in litteris, & Christianis præceptis  
erudiant; caveant tamen, ne sub hoc  
prætextu vel propriis muniis desint, vel  
servilibus domus operibus se se immis-  
ceant. Studeant pueros sibi commissos  
sancte & pie educare, famulos etiam &  
rudes, si opus sit, instruere; prudentibus  
confiliis omnes juvare, corrigere, si quos  
invenerint depravatos mores, conservare  
pacem, & omnes verbis & exemplis ad  
bonum excitare. Ceterum a negotiis tem-  
poralibus omnino abstineant, potissimum  
vero in testamentis conficiendis, in con-  
tractibus, & in matrimoniiis se nullatenus  
immisceant. Multa adhuc dicenda fo-  
rent, sed cum epistolæ necessaria brevi-  
tas omnia percensere non permittat, con-*

*clu-*

cludemus cum Apostolo Paulo ad Titum  
cap. 2. v. 12. *Abnegantes impietatem, & secul-  
laria desideria, sobrie & juste & pie vivamus in  
hoc seculo; expectantes beatam spem, & ad-  
ventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris no-  
siri Iesu Christi.*

Et quæ hactenus de Sacerdotibus  
dicta sunt, reliqui etiam sacræ militiæ ad-  
scripti ad se pertinere intelligant; qui si-  
cuti de gradu in gradum usque ad subli-  
me Presbyteratus culmen ascendere cu-  
piunt, ita proficere debent de virtute in  
virtutem, ut digni tanto honore invenian-  
tur. Servite ergo Fideles, & obedientes  
sub sancto Christi Domini vexillo, esto-  
te fortes in bello, & pugnate cum antiquo  
serpente. Jam mundo nuncium remisi-  
stis, nolite amplius sapere, quæ de mun-  
do sunt, sed quæ sunt Dei: occupatio ve-  
stra sit in oratione, & in studiis vestro  
statui necessariis; familiaris sit vobis  
**Scripturæ Sacræ & Cathechismi Romani**  
**lectio, frequens templorum visitatio:** fu-  
gite

gite otium, quo non solum tempus pretii  
inæstimabilis inutiliter teritur, sed occa-  
sio multis nefandisque vitiis præbetur:  
multoque magis fugite secularium, ac  
præcipue diversi sexus conversationes:  
Estote humiles, modesti, & obedientes  
majoribus vestris; *Deus enim superbis resi-  
stit humilibus autem dat gratiam.* Epist. S.  
Jacobi cap. IV. ¶. 6.; & rursus scriptum  
est: *In malevolam animam non introibit sa-  
pientia, nec habitabit in corpore subdito pec-  
catis.* Sap. I. ¶. 4. Finis autem vester  
non debet esse sola promotio ad ordines  
superiores; multoque minus spes benefi-  
cia acquirendi, aut vitæ commoda, vel alia  
temporalia emolumenta; sed Deo ser-  
viendi & Ecclesiæ, vestræque, & aliorum  
salutis procurandæ; atque ad hunc tam  
sublimem, tam utilem, ac necessarium fi-  
nem omnes vestræ actiones sunt dirigendæ.

Omnes denique, & singulos no-  
stræ Diœcesis Ecclesiasticos quantum ma-  
xime possumus hortamur, immo potius  
man-

mandatum Domini s<sup>e</sup>pius in sacris litteris inculcatum vobis in mentem revocamus; *ut subditi sitis in omni timore Dominis nostris.* I. Petri cap. 2. v. 18. *Omnis anima,* inquit S. Paulus Rom. XIII. v. I. & sequ. *potestatibus sublimioribus subdita sit:* non est enim potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsis sibi damnationem acquirunt.

Propterea sanctissimus Pontifex noster Clemens XIV., quem pro bono Ecclesiæ Deus quam diutissime incolument servet, in sua epistola Encyclica 12. Decembris anni 1769. id potissimum nobis Episcopis inculcavit, *ut post Deum, ac divini cultus constitutas in Ecclesia rationes, omnem sollicitudinem ad populum Regum obedientia, ac obsequio rite imbuendum convertamus;* ut omnes fidem Regibus sancte esse servandam ab ipsis incunabulis percipient, parendum auctoritati, legibus obsequendum, non solum propter iram, sed etiam propter con-

scien-

*scientiam, ut eos colant, ac diligent, ac pro iis  
peculiares quotidie ad Deum preces dirigant.  
Summi ergo Pontificis ac Patris nostri  
jussibus, qua par est, reverentia obse-  
quentes, in eo semper maxime solliciti eri-  
mus, ut exemplo nostro omnes nostræ Pasto-  
rali curæ subjecti clementissimis, & augu-  
stissimis Principibus nostris, eorumque Ma-  
gistratibus debitam semper obedientiam,  
ac venerationem exhibeant; ut nostris  
quotidianis etiam suas preces adjungant  
ad Deum, ut iis & lumen, & vires præ-  
beat, quibus Religionem, Ecclesiam, e-  
jusque ministros protegere, justitiam in-  
violate administrare, pacem & tranquil-  
litatem servare, & in omnibus gloriam  
Dei promovere valeant.*

Sed & pro nobis vestras orationes,  
qui bus maxime indigemus, etiam atque  
etiam deponscimus, qui quanto in loco su-  
blimiori, tanto in periculo majori verfa-  
mur. Oremus invicem in vinculo pacis,  
& caritatis, ut abundemus omnes in ope-  
ribus

tibus bonis, & inveniamur in die judicii  
repleti fructibus justitiae per Jesum Chri-  
stum in gloriam, & laudem Dei.

Fratres dilectissimi, uniti in Do-  
mino nostro Jesu Christo faciamus ea,  
quæ Deo placent: sustineamus nos invi-  
cem; Deus dirigat, & in sua pace dispo-  
nat actus & corda nostra; ignem sui a-  
moris accendat in nobis, & pro sua misé-  
ricordia Ecclesiam suam, & Religiosissi-  
mos Principes nostros Josephum Impera-  
torem, ac Mariam Theresiam Imperatri-  
cem, ac Reginam nostram, ac nos omnes  
defendat, protegat, atque custodiat, ut le-  
gitime certantes in hoc mundo, ac cursum  
consummantes immarcescibilem coronam  
nobis repositam in cœlis recipere merea-  
mur; quam Deus omnipotens, & infinite  
misericors per merita Domini nostri  
Jesu Christi ejus Filii nobis omnibus be-  
nigne concedat. Amen.

